



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Officia Propria Ecclesiae Et Dioecesis Paderbornensis

**Asseburg, Wilhelm Anton von der
Paderbornae, 1764**

Dominicâ ante Festum OO. SS. Festum Reductionis Reliquiarum S. Liborii
Ep. & Conf. dupl. maj.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62764](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62764)

Dominica ante Festum OO. SS.

FESTUM REDUCTIONIS

RELIQUIARUM S. LIBORII,

Duplex Majus Diœces.

*Omnia de comm. Conf. Pont. præter
propria.*

*In Hymn. Iste Confessor. mut. tert.
vers.*

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus,
qui Ecclesiam tuam in Confes-
sione Sancti Nominis tui solidasti:
præsta quæsumus; ut quæ Sancti
Liborii Confessoris tui atque Ponti-
ficis annua recolit solemnia, ejus
apud te suffragiis ab omni mereatur
adversitate liberari. Per Dominum.

*Lectioes primi Nocturni Fidelis
Sermo, de communi Conf. Pont.*

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Postquam sacrum Corpus Sancti
LIBORII Cenomanorum Episcopi
multis prodigiis celebre, octo ferè

secul.

sæculorum spatio, præcipuo in ho-
 nore à Christi fidelibus habitum, in
 Æde Cathedrali Paderbornensi quie-
 verat, Anno Reparatæ Salutis vige-
 simo secundo supra millesimum sex-
 centesimum, quarto Kalendas Fe-
 bruarias heterodoxi, captis quibus-
 dam Oppidis vicinis, eamdem etiam
 Urbem occupârunt. Quâ occasione
 cum prædicta Ecclesia, ejusque Or-
 namenta diriperentur, venerandæ
 illæ exuviæ ex argenteâ Tumbâ, quæ
 ab impiis Violatoribus disrupta, &
 in nummos deindè conversa fuit, ex-
 tractæ, vilique mappâ involutæ, per
 varia loca delatæ sunt. Quod qui-
 dem facinus (ut memoriæ proditum
 est) inultum non sinens Altissimus,
 violationis Auctorem, ejusque Mi-
 litares copias paulò post multis cladi-
 bus, & gravissimis ærumnis affecit.

Rx. Inveni David.

P. Autumn.

P

Lectio

Lectio V.

Pretiosus abductorum Ossium thesaurus à FERDINANDO unà cum Archiepiscopatu Colonjensi Paderbornensem quoquè Præsulatum obtinente, nec non ab hujus Ecclesiæ Canonicis, sedulò conquisitus, tandem apud Nobiles, & Catholicos Conjuges Neovillerii in Lotharingiâ Castri Dominos inventus est, qui illum è Raptoris manu vindicatum, mirisq̃ue signis (piâ sic referente traditione) in supplicantium solatium cælitùs illustratum, Aulico in Sacello colendum servabant. Quamobrem memorato Antistite agente, Sacræ Reliquiæ feliciter inde receptæ, ac decimo septimo Kalendas Julias, Anno ejusdem Sæculi vigesimo tertio, Marienforesti propè Bonnam Brigittini Ordinis Cænobio, ejus jussu ad custodiam fuerunt reconditæ, ubi deinceps ob diversas adhuc rerum,

&

& temporum vices in quartum annum detentæ sunt.

R. Posui adjutorium.

Lectio VI.

Pravis intereà Sectæ Lutheranæ erroribus, quibus Cives Paderbornenses adhæserant, non sine cælestis Patroni sui ope ejuratis electum pignus ad Arcem Neuhusanam asportatum fuit: atque hinc Anno vigesimo septimo præfati Sæculi, Dominicâ Omnium Sanctorum festivitatem præeunte, quæ die Mensis Octobris postremâ contigit, novæ Urnæ magnificentissimè elaboratæ inclusum, splendidissimâ supplicatione, in Civitatem universo Populo, qui vel ex finitimis locis advenerat, exultante, ac plaudente, illatum, pristinae sedi, & venerationi in Cathedrali restitutum est. Itaque rei gestæ memoria, prædictâ Dominicâ recurrente, Ecclesiastico Officio quotan-

nis celebrari coepit, exindeque cultus Beati Præfulis, quem Catholicæ Religionis hostes evertere tentaverant, per complurium Beneficiorum operationem, præsertim in Liberatione à Nephriticis doloribus, nec non per Particularum ejus Ossium, supremis etiam Principibus devotè flagitantibus, factam distributionem, & subsequutam multis in regionibus earum expositionem grande accepit incrementum.

Ry. Iste est.

IN III. NOCTURNO.

*Homilia in Evang. Homo peregrè.
de comm. Conf. Pont.*

Nona Lect. & com. Dom.

*Missa: Statuit. orat. cum secr. & Postcom. prop. ut in festo Die 23. Julii.
Ex Indulto Sacræ Rituum Congregationis die 30. Mensis Septembris 1738. pro omnibus tam Sæcularibus, quàm Regularibus utriusque Sexûs de beneplacito Sanctissimi Domini nostri Papæ CLEMENTIS XII.*

Die